



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§, 22. Quesnellus a suis Amicis e carcere ereptus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

Sæc. XVII.  
A. C. 1703.

## §. XXII.

*Quesnellus a suis Amicis e custodia  
eruptus.*

Hærebat Quesnellus per integrum bimestre in Archiepiscopali carcere, ubi tamen nullum resipiscendi propositum, sed unice elabendi sollicitudinem sovebat, haud ignarus, quod ejus amici extrema quæque pro ejus liberatione tentaturi essent: ut vero eisdem cubiculi, in quo detinebatur, situm indicaret, ex plumbo fenestrarum abstracto calatum sibi confecit, & schedulam linteaminibus involutam ad Ernestum S. Gundulæ Canonicum perscripsit hujus tenoris: *de me non sis sollicitus, cubiculum meum prospicit ad aream stabuli, una fenestra vergit ad hortum illius popinæ, quæ inter Palatium Archiepiscopale, & PP. Dominicanos interjacet.* Hæc quidem schedula a Ministris reperta Ernesto nullatenus reddita est: eadem vero rursus Quesnellum ad suos amicos perscripsisse, inde patet, quod in eadem taberna effractionis negotium fuisset perfectum; nam quidam Nobilis Gallus summa inopia pressus, & opifex quidam a Quesnelli amicis conducti noctu inter undecimam & duodecimam Septembris diem in præfatæ popinæ stabulo

E 4 Pala-

**Sæc. XVII.** Palatii Archiepiscopalis parietem per-  
 A.C. 1703. forarunt, ac foramen adeo amplum  
 fecere, ut postera nocte continuato  
 opere per illud Quesnellus facile ex-  
 trahi potuerit: Ita ergo circa horam  
 primam præfatæ noctis evasit, erupit,  
 nil nisi plurima epistolarum, quas in  
 hoc carcere a suis receperat, in minu-  
 tissimas partes disceptarum fragmenta  
 relinquens. Delituit Bruxellis per ali-  
 quot dies, tandem vero clam Namur-  
 cum, inde Huyum, ac demum Am-  
 stelodamum contendit: **E**nimveroQues-  
 nelli fautores sparsis per urbem literis  
 eum velut alterum Paulum deprædi-  
 cabant, & ipse Quesnellus in epistola  
 ad Vicarium Generalem Bruxellensem  
 data jactitabat, se ab Angelo Dei velut  
 alterum Petrum e carcere eductum  
 fuisse, neuter tamen ex his Apostolis  
 facti nominis mendacio, quæsitusque  
 latebris, suos hostes effugere, aut car-  
 ceris effractione libertatem redimere  
 intenti erant.

### §. XXIII.

#### *Varia scripta in Quesnelli cubiculo reperta.*

**Q**quamvis violenta hæc carceris effra-  
 ctio ac fuga Quesnellum condem-  
 net, ac flagitiij convictum probet, lu-  
 culen-